

P I S A


1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

9



DISPUTATIO VII.
 EXERCITATIONVM ETHI-
 CARVM
 De
FORTITVDINE,
 PRIMA VIRTUTE
 morali.

Ex medio libri tertij Ethicorum Nicoma-
 chiorum deprompta

Quam

DEO DVCENTE ET DOCENTE

In illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO PHI-
 losophiæ moralis Professore publico de-
 fendendam suscipiet

SAMVEL STANGIVS OLDEN-

burg. Fris. 20. Iunij horis locog₃ consuetis.

Sil. Italicus

*Explorant adversa viros, perque aspera duro
 Nittur ad laudem virtus interrita clivo.*

Typis Mullerianis Anno 1607.





ILLVSTRI ET
GENEROSO DN. DOMI-
NO ANTONIO GUNTHERO, CO-
miti in Oldenburg & Delmenhorst, Dynastæ
in Iever & Kneiphausen, Domino &
Comiti suo clemen-
tissimo

*hanc Ethicam de For-
titudine*

*humiliter & demissè
offert.*

Respondens

CONTINUATIO.

Qui ultimum istum rerum agendarum finem serid
exposcunt, illos media fini huic producendo accom-
modata minimè omnium ignorare; sed exactissimè
cognita perspectaq; habere omninò fas est. Ideò haud
quaquam sufficit generalem tantum notitiam illorum in con-
spectu esse; sed specialem accedere quàm maximè est necesse.
Nam ut generalis confusam: ita specialis distinctam exactamq;
parit cognitionem. Et benè Philosophus: Sermones, inquit,
qui ad genus vniuersum pertinent, in Philosophiâ morali
plerumq; sunt inaniore: qui verò partes & res singula-
res explicant, veriores. 2. Eth. 7.

Quia ergò hætenus ea, quæ de virtutibus meralibus in
genere dici poterant, prægressis nostris velitationibus pro vi-
rili nostrâ excussimus: nunc diuini favoris aurâ nobis aspiran-
te ad specialem harum considerationem accingimur. Quia ve-
rò ubi Coriphæus noster Aristoteles pedem im pressit, ibi eius ve-
stigia legere est animus: idcirco primò fortitudinem cum eo
lustremus, iam in primis à nobis requiritur. Eam nempe virtu-
tem, quæ est columna ciuitatis, lorica hominis, in quâ belli fuga,
in qua pacis palma cernitur: indeq; Veteribus ita decantata fu-
it, ut eam penè solam aut Summam virtutem putauerint. De
hac ergò in presentiarum pro more nostro agemus.

THESIS I.

Est igitur fortitudo illa virtus moralis, quæ pericula respicit.
Donald. 1. Eth. 3. c. 1. p. 160.

2. Hæc Philosopho duplex est *κρυία*, genuina, vera, pro-
pria: & *δανδα*, ficta, apparens, adulterina. 3. Eth. c. 7. & 8.

3. Quæ quidem Divisio licet maximè sit bellica fortitudinis, id quod non
insitemur: interim tamen eam si ita placuerit, etiam ad rogatam istam, &
sic generaliter ad hanc virtutem haud male applicabis.

4. Vera fortitudo (quæ à rectâ ratione proficiscitur, & solâ
honestate nititur) definitur ab Arist. 2. Nicom. c. 7. & 3. Nicom.
cap. 6.

cap. 6. μεσότης περί φόβου καὶ δαΐμονος medietas circa timorem & confidentiam. Et ibidem cap. 7. μεσότης περί τὰ φοβερά καὶ θαυμάσια mediocritas circa ea, quæ timorem aut confidentiam afferunt.

5. Ex quibus descriptionibus Aristotelis hanc pleniorē exstruimus: Fortitudo est virtus, quæ mediocritatem servat in ijs, quæ terribilia sunt & fiducia animi egent, atque adeo in adeundis periculis sustinendisq; laboribus, solo fine honestatis & publicæ utilitatis. Kecker. in syst. Ethic. lib. 2. c. 4. p. 222.

6. Objectum hujus virtutis est internum vel externum.

7. Internum sunt metus & confidentia: De quibus plus satis in progressu disputationibus.

8. Externum objectum fortitudinis est vel generale vel speciale Kecker. l. d.

9. Generale est vel primum vel secundarium. Idem.

10. Primum sunt τὰ φοβερά omnia formidabilia quæ animum hominis perturbare possunt, atque adeo omnia mala & adversa, quæ metum & formidinem causantur. 3. Nicom. 9. Kecker. l. d. Vide infra questionem.

11. Formidabilia sunt πάντα τὰ κακά, mala omnia: Siquidem sunt φθορικά hoc est afferunt corruptionem & interitum sui subjecti: non secus ac bona omnia sunt φυλάκικά id est conservant suum subjectum, cui adherent. Magirus in 3. Nicom. c. 6. p. 258.

12. Proinde uti omne animal naturaliter expetit sui conservationem atque ea amat quæ bona sunt: ita naturaliter aversatur sui destructionem & fugit ea quæ mala sunt. Hinc etiam metus definitur: προσδοκία τῶν κακῶν, id est, expectatio mali. Idem.

13. Sunt verò mala duplicia. 1. Quædam enim talia sunt, ut omnes homines ea metuant aut metuere debeant: & nisi metuant merito impudentes censeantur. Talia sunt infamia (quam quis honestè metuere potest) omne scelus, sceleris poena &c. 2. Ethic. cap. 6. Keck. l. d. p. 223. Benè ergo Cleanthes, cum ei probro daretur quòd meticulosus esset, respondit: Idcirco parùm pecco. Et benè Xenophanes cuidam obijcienti timiditatem, quòd tesseri nollit ludere, fateor, inquit, me esse timidum, sed adversus inhonestas.

2. Quædam verò talia sunt, ut citra reprehensionem metui vel non metui possint: ut est invidia, inimicitia, paupertas, orbis, exilium & similia 3. Nicom. cap. 6.

14. Metui

14. Metui enim debet hæc mala, si ea nostrâ culpâ æcerimus. V. g. si quis propter aliquod delictum in carcere compingatur, aut exulatum ire inbeatur. Si quis propter intemperantiã incidat in morbũ: si quis propter luxuriam redigatur ad paupertatem, &c. Arist. l. d. Magirus in hunc locum.

15. Non metui debent hæc mala si præter nostrum meritum & culpam iniuste nobis contingant. V. g. si vir fortis præter suum meritum cum Aristide solum vertere cogatur: si cum Anaxagora in carcerem conijciatur: si in mendicitate cum Socrate omnem ætatem exigat: Si cum Phocione in condemnationem veniat: interim hosce strepitus & omnes fortuna fragores non magis extimescet, quam Fabricius olim barritum Elephanti.

16. Sic et formidabilia sunt Duplicia: alia ὑπὲρ ἀνθρώπων supra hominem: alia κατ' ἀνθρώπων secundum hominem. Arist. 2. Eth. c. 7.

17. Supra hominem sunt, quæ magnitudine suâ vires humanas ita excedunt, ut nemo sanæ mentis sit, quem non attonitum & consternatũ reddant. Talia sunt, fulmina, fulgetra, terræ motus, prodigia et alia portentosa, quæ manifestam Dei iram denunciant. Atq; in hisce nullus fortitudini locus relinquitur: siquidem isti, quibus hæc non sunt terrori aut horrore, aut à potestate iam abierunt, aut planè sunt ἄθεοι. Tales sunt Psylli quos refert Herodotus l. 4. contra Austrum, ut ventum illis nimis infestum, armatâ manu profectos, sed arena obrutos stultitiæ mercedem reportasse. Tales fuerunt Celtæ, quos instructâ acie maris exundantis æstum reprimere conatos fuisse testis est Ælianus l. 12. c. 23.

18. 11. Secundum hominem sunt, quæ ab hominibus magno animo sustineri possunt. Et hæc iterum sunt duplicia 1. Maiora quæ sc. magis homines afficere possunt. 2. Minora, quæ minus. Huiusmodi sunt omnis generis pericula & mala, quæ in humanâ vitâ solent contingere, ut est paupertas, captivitas, orbitas, exilium, morbus, mors, circa quæ versatur fortitudo & in quibus maximè conspicitur Arist. l. d. Keck. l. d. Donald. l. d.

19. Secundarium obiectum viri fortis est τὸ θαρσύναν, id est, omne illud quod requirit animi confidentiam, ut sunt præcipue labores, molestiæ, quas sæpè oportet virum fortem sustinere: Et dicuntur secundarium virtutis obiectum, quia fortitudo magis circa τὰ φοβερά, quàm circa τὰ θαρσύναν occupatur. Arist. l. 3. Nicom. c. 9. Donald. l. d. p. 162. Kecker. l. d. p. 224.

20. Speciale fortitudinis obiectum est mors tanquã omnium terribilium terribilissimũ, nempe si hominẽ consideres, quatenus est corpus viuũ, & sui conservationem ante omnia expetens, non. a. quatenus est Christianus et

indutus ea pietate, ut considerat sibi mortem fore aditum ad vitam, & extremum in hac vita diem sibi fore melioris vite natalem) Quia mors est ultima linea rerum. 2. Quia non solum omnibus bonis hominem spoliatur, sed etiam omnem spem que in ceteris malis est unicum solatium, hominibus adimit. Spes est in vivis non est spes ulla sepultis. (Intellige secundum subiectam materiam boni civilis. Christiani enim novimus, spiritualia bona perfecte nobis post mortem expectanda esse.) Arist. l. d. Kecker. l. d.

21. Et sic fuit obiectum fortitudinis: Finis eius est, solius honestatis causa ejusmodi periculis, de quibus iam dictum, sese obiectare. Quicquid enim praeter id, quod honestum sit expetendum duxeris, in bonisq; numeraveris: & honestum ipsum, quasi virtutis lumen exstinxeris & virtutem penitus everteris. Cic. 3. De Finibus, Et elegans est illud Platonis apud euntem i off. Non solum scientia que remota est a iustitia, calliditas potius quam sapientia appellanda est. Verum etiam animus apparatus ad pericula, si sua cupiditate, non utilitate, communi impellitur, audaciae potius nomen habet, quam fortitudinis.

22. Ex hoc fine subiinferimus non esse fortes milites. 1. Qui contra causam bonam militant, aut veram religionem, si sciant eam veram esse. 2. Qui arma deponunt, quando Duces stipendia non possunt solvere, quod ex necessarijs & inevitabilibus causis nonnunquam accidit. 3. Milites mercenarios, quae causam belli non considerant, sed temere tantum propter solam pecuniam in bella ruunt.

23. Officium viri fortis a Philosopho triplex constituitur. 3. Nicom. c. 7.

24. Ratione materiae; Vir fortis quidem imperterritus esse debet & masculinum animum gerere in malis etiam longe maximis; sed ut homo h. e. ut qui sensu & affectibus praeditus est, nec omnium malorum formidine se liberare potest. Arist. 3. Nicom. c. 7. & 9. Kecker. l. d. p. 227.

25. ii. Ratione formae decenter fert pericula: & convenienti modo loco & tempore eadem quoque metuit; ita tamen ne illo metu ab honestis actionibus vel latum unguem sese absterreri patiatur. Arist. l. d.

26. iii. Ratione finis, pericula fert fortiter honestatis gratia, non lucris causa, non captanda gloriae ergo: siquidem omnibus virtutibus proposita est honestas & vir fortis fortitudinem honestum quid esse statuit: ideoque etiam agit non nisi legitimis & honestis medijs Arist. l. d. Eius rei exemplum sic nobis Caius Fabricius qui cum ad ipsum nocte veniret medicus Pyrrhi, Niveas nomine, promittens se veneno Pyrrhi occisurum, si sibi aliquid polliceretur: tunc Medicum hunc vincitum reduci iussit ad Deminum, dicens Pyrrho, quae
CONTRA

contra caput eius Medicus spondisset. Tunc Rex admiratus, dixisse fertur:
Ille est Fabritius, qui difficilius ab honestate, quam sol a suo cursu
averti potest. Eutrop. l. 2. Gell. l. 3. c. 8. Plura exempla virorum fortium
legantur apud Valer. Max. titulo de fortitudine. Item apud Livium l. 7. c. 25.
& 28. apud Zvingerum in theatro sol. 6. libri primi & seqq.

27. Adiuncta fortitudinis sunt lucundum & molestum 3. Eth. 9
1. lucundum ratione finis qui plenus sinceræ voluptatis, quæ nihil aliud,
quam bonæ conscientie tranquillitas & leticia perpetua. 2. Molestum
quodad actiones, quæ varijs cura difficultatibus & periculis coniunctæ.
Sic gladiatoribus molestæ sunt plagæ, tumores, livores, vulnera: sed spes victo-
riæ, applausus honores, præmia longè incundissima. Arist. l. d.

28. Extrema fortitudinis sunt Excessus & defectus.

29. In excessu Duo sunt vitia: quorum unum est in non me-
tuendo, alterum in nimium confidendo.

30 Prius quidem est ἀνόουμον: dici tamen potest ἀφοβία: alij insaniam
vocant. Est vero hoc tale vitium, quo quis non metuendo modum
excedit, & fulgura, terra motus, illuviones &c. non metuit. Hoc vitio
laborantes insani dicuntur vel sensu carentes, eo quod omnes sani contra hos
sentire & facere videntur. Tales fuerunt Celtæ de quibus Arist. l. 2.
Eudem? quod soliti fuerint cum fluctibus marinis congregari. Et alij scripto-
res de iisdem referunt, quod turpe putarunt ades corruentes deserere: & quod
inundantibus fluctibus marinis armati illos expectarint ac ictibus exceperint,
usq; dum submergerentur, ne si fugerent mortem metuere viderentur. *Ælianus*
l. 12. c. 23.

31. Alterum vitium in excessu *ἄσχετος* nominatur, id est, au-
dacia. Hæc verò est vitium, quo in confidendo modum excedi-
mus. Vel audacia est præceps animi impetus sine ratione hominem ad peri-
cula impellens. Cicero inquit, audaciam esse sine causa sese offerre periculis
& in tranquillo adversa optare pericula. Exemplo est Callicratides
Dux Lacedemoniorum qui in bello Peloponensiaco, vana gloriola ergo,
noluit classem ex loco incommodiore reducere, sed monentibus de periculo respon-
dit: Lacedemonios illa classe amissâ posse aliam parare si q; eam audacter perdi-
dit. Cicero 1. off. Exemplo etiam sunt Terentius Varro & Flaminius,
Romani, quorum hic ad Thrasymentum, ille ad Cannas, dum nimium suis vi-
ribus confidunt, & Hannibalem hostem contemnunt audaciâ suâ rem Ro-
manorum subvertierunt. Sic Cæpio temerè contra Cimbros pugnans
octoginta

octoginta millia in uno conflictu amisit, ut Livius scribit. Et Iuvenalis inquit Satyra 10.

Viribus ille

Confusus perijt, admirandisque lacertis.

32. Notæ hujus vitij & eorum qui hoc vitio laborant sunt. 1. Arrogantia: quia istiusmodi audaculi sibi multum tribuunt, & soli fortitudinis laudem & titulum captare volunt. Videre hoc est in milite glorioso Plauti & Thrasone Terentiano. 2. Timiditas: quia audaces imminentibus laboribus & periculis minimè sunt constantes. Initio enim labores & pericula superciliosè despiciunt, animos jactitant viriles, & nihil nisi constantiam, imò nihil nisi ferrum & sanguinem spirant, ingravescentibus verò hysdem metuunt, à proposito turpiter desistunt, & cum dedecore fugiunt. Videre hoc itidem (quoad pericula) est in Thrasone Terentiano, qui prælium quidem cum suis auspiciatur, & servulos ad pugnam collocat, ille autem stat post principia.

33. Differunt proinde inprimis audaces & fortes 1. quia hi cum ratione periculis sese obiectant 3. Nicom. c. 7. illi temerè & ex quadam arrogantia. 2. Hi sunt constantes; illi minimè. 3. Hi ante pericula sunt ἡσυχίοι quieti, non clamosi, non contumeliosi in quemcunque etiam hostem: audaces autem ante pericula sunt ἄσοπετοί, præcipientes, clamosi, minaces, jactabundi, sed ubi ad pugnas deventum est, ibi resiliunt, animum despondent, & ad fugam se convertunt: sicque, juxta Maronem, in linguâ ventosâ habent Martem & fugacibus pedibus.

34. Defectus fortitudinis est timiditas seu Ignavia, quâ in confidendo deficimus, & metuiamus ea, quæ non debebamus: illæ verò quæ metuenda alioqui sunt, nimium & modo inconvenienti metuiamus, inq; eo metu contra honestatem aliquid committimus. Hinc nata ista Proverbia: Umbram suam & muscam prætervolantem metuere. In pulicis morsu Deorum opem implorare. Timidior prospiciente. Omnia timenti strepitum excitant: & si quæ sunt huius generis alia. Cuius trepidationis omnium famosissimum exemplum post se reliquit Aratus Sicionius Dux Achelorum, qui quoties aciem instruxisset & tesseram dedisset, retrò ab acie recedere solitus est, & centuriones percunctari, ecquid suâ presentia opus foret? Iactam enim iam esse aleam. Atq; ita digrediens quàm longissimè, eventum pugne expectabat.

35. Atq; sic hæcenus generatim de fortitudine: nunc eam dispecimus in Domesticam vel Bellicam Cic. 1. off. Donald. l. 3. Eth. c. 1. p. 165.

36. Domesti-

36. Domestica est, quæ in adversis prosperisq; rebus animum præstat immotum. *Donald. l. d.*

37. Hanc virtutem Cicero frequenter inculcat & 1. off. de ea sic loquitur: Fortis verò animi & constantis est, non perturbari in rebus adversis, nec tumultuantem de gradu deijci, ut dicitur, sed præsentis animo & consilio uti, nec à ratione discedere. *Et Horatius 2. Od. 10.*

Rebus angustis animosus atq;
Fortis appare: Sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

38. Hujus fortitudinis exemplum quoad res adversas est Fabricius de quo subantea, Phocion (*Plat. in Phoc.*) Teucer (*Cic. 5. Tusc.*) Anaxagoras (*Val. Max. l. 5. c. 10.*) Xenophon (*ibidem*). Quoad moderationem verò in rebus secundis est Philippus Macedo qui victis Atheniensibus solita non fecit sacra, non convivatus est, non coronas aut unguenta sumpsit, quin necrisse dicitur, neque Rex Græcorum; sed Dux saltem nominari cupiebat. Idem Græciæ potius imperio puerum aluit, qui singulis diebus manè ter exclamaret Regi: Philippe memento te hominem esse. *Ael. lib. 8.* Et Epaminondas eo die, qui pugnam Leucericam sequutus est, squalidus & submissus processit, & clam sciscitantibus: Heri, inquit, sensi me plus æquo mihi placuisse *Plutarch. in Græc. Apoph.*

39. Fortitudo bellica est, qua mortem bellicam honestè oppetere vir fortis non dubitat *Donald. l. 3. c. 1. p. 166.*

40. Differt hæc à domestica 1. Objectis, quod hæc mortem bellicam in eaq; adeunda pericula habeat proposita: illa aliam etiam mortem, pericula & adversa. 2. Hæc in bello; illa in pace potissimum eminet.

41. Hæc bellica fortitudo apud omnes scriptores est celeberrima, quam & pulcherrimã & honestissimam putarunt. 1. Quia in ea pericula sunt maxime obvia & quasi ob oculos posita. 2. Quia talis mors oppetitur pro defensione patriæ, religionis, parentum, liberorum, amicorum, imò pro lege & grege. Atqui ubi causa mortis honesta est, ibi & mortem ipsam honestam esse necesse est. 3. Inde ista, qui bello occubuerunt frequentissimè etiam veterum carminibus celebrati fuerunt, quemadmodum videre est apud Homerum, Virgilium, & alios. Bene ergo Poeta.

B

Inclyrã

Incluta mors vita est: ingloria vita Sepulchrum
Non moritur facinus qui grave morte fugit.

Et rectè Cicero 14. Philip. O fortunata mors, inquit, quæ naturæ debita, pro patria potissimum est reddita. Quid enim pulchrius, uti Athenienses Turca quondam responderunt, aut in humanis incundius esse potest, quam egregios cives & domesticos pro salute omnium sese intrepidòs morti exponere?

Atq; hoc Codrum regem Atheniensium movit, ut cum in bello Peloponnesiaco oraculo accepisset, victorem fore gentem, cuius princeps bello periret, gregarium se fingens militem, inimicis se occidendum prahuerit.

42. Et sic hæc hactenus vera fortitudo fuit: apparens est, quæ impelluntur quidam ad pericula subeunda apparente aliquo & specioso nomine. Donald. l. 3. c. 1. p. 167.

4. Estq; hæc apparens fortitudo vel civilis vel militaris, vel iracunda vel fiduciaria, vel Inscia 3. Nicom. c. 8.

44. Civilis est quam leges à singulis Civibus in propugnanda patriâ propositis præmijs & pœnis exigunt. Ibid.

45. Estque duplex. 1. voluntaria quæ ad legum iussa, pericula & labores subimus honoris amore, excitati videlicet laude & præmijs, quæ quondam strenuè se gerentibus dabantur, Cell. lib. 5. noct. Attic. Sic Hector provocatus ab Achille, quamvis ei esset viribus impar, tamen maluit cum vitæ periculo cum eo congredi, quam ut sibi obijci posset, quod Hectorem metuisset Hom. l. 22. Iliad. Contra Diomedes maluit cum Hectore congredi, quam committere, ut Hector coram Troianis gloriari posset, quod ipsum in fugam abegisset, l. 8. Iliad. 2. Coacta, quæ pœnæ formidine compulsi ad legum iussa nos masculè periculis obiectamus. Eius rei exemplum sunt milites isti qui quidem intrepidè sese periculis obijciunt, & strenuè cum hostibus congrediuntur, sed ipsa necessitate coacti. Fieri hoc solet, si a imperator aciem disponat, ut nihil loci sit fugæ reliquum. sed omnes vel pugnare fortiter, vel turpiter occumbere cogantur. Sic Darius cum in Scythiam suas duxisset copias pontem quo stratus erat Isther. demolitus est, ut scirent milites sibi esse, vel animosè decertandum, vel miserè pereandum. Agatholles in Africam traiciens bellum Carthagenensibus illaturus omnes tremavit naves, ut ipsa necessitate superari milites strenuè cum hoste congrederentur. Ita Lacedæmonij congressuri cum Messeniis ita castra locarunt, ut hostem à fronte haberent, fossam à tergo, ne ullus locus fugæ superesset.

47. Differt à vera fortitudine 1. Efficiente, quia leges hanc singulis

gulis

gulis imperant sub comminatione poena, si recusent. At qui vera fortitudo voluntaria est. 2. Causa finali: quia non tam honestatem quam praemij ademptionem, honores scilicet, vel poena vel dedecori aversionem spectat. At qui vera fortitudo sola honestate mouetur. Ibid.

48. 2. Militaris est, quae militem ob experientiam & spem praedae in periculis adeundis intrepidum reddit. Experientia enim homines ad omnes actiones reddit animosiores, quod ex contrario patet. Qui enim circa magnam aliquam actionem nunquam versati fuerunt, isti timidiusculam eam initio aggrediuntur. Ibid.

49. Sic veterani milites animosiores sunt, quam Tyrones. 1. Quia illi propter diuturnam experientiam optime sciunt, quantum sit quodque periculum, & multa vana esse in bello, ad qua imperitiores solent trepidare. 2. Noverunt modum & occasionem pugnandi & declinandi pericula. Hi vero haec omnia ignorant, & exinde sunt timidiores. Unde Philosophus veteranos milites comparat Athletis & armatis, novos vero inermibus & idiotis. Ibid.

50. Differt haec militaris fortitudo à vera. 1. Efficiente: quia non nititur prudentiâ aut consilio, sed vel robore corporis vel peritiâ tractandi arma & captandi occasiones. 2. fine: Quia non honestatem; sed spolia sibi proponit. 3. Duratione: quia haec animositas neutiquam constans esse solet; sed ubi vires prostratas cernit, propudiosè desistit, & fugam suadet. At viri fortes ad extremum usque vitae halitum sese strenuè gerunt; nec desperant, dum spirant: sed illud Virgilij tenent: Tune caede malis; sed contra audentia ito.

51. III. Iracunda fortitudo est, quam ira vel odium ad vindictam sine certo consilio excitat.

52. Differt à vera fortitudine. 1. efficiente: quia non est in ratione & voluntate, ex certo aliquo proposito; sed à passione aliqua, ira scilicet vel odio excitatur. 2. Subiecto: quia etiam in bestiis & iumentis esse potest: item in improbis & facinorosis. At vera fortitudo non est nisi in viris prudentibus & bonis. 3. Formali causa: quia recte rationi minimè obtemperat; inconsiderate fertur, quocumque raptat affectus. Bene ergo Horat. l. 1. epist. ad Lull.

Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret,

Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catenis.

3. Fine: quia non honestatem: sed vindictam pro fine habet, ut rectè dictum sit à Claudiano:

In iaculum quodcumque gerit dementia mutat,

Omnibus armatur rabies, pro cuspide ferri.

Cuncta volant dum dextra ferox in vulnera saevit.

Pro telo geritur quicquid suggesterit ira.

B 2

Fiducia

25. 4. Fiduciaria fortitudo nihil aliud est, quam promptitudo temeraria subeundi & perpetiendi labores ac pericula, excitata à spe, quam vel præteritorum malorum & recordatio bonorum affert, vel præsentia certorum præfidiorū & auxiliorū Arist. ibid.

53. Differt à verà fortitudine. 1. efficiente: quia in verà fortitudine spes & fiducia proficiscitur à cause bonitate & à rectà conscientia: at hac fiduciaria fortitudo non à sola honestate & cause bonitate; sed à spe, quæ externis auxilijs nititur, ortum habet. 2. Fine: quia fortes ideò pericula adeunt, quia illa adire honestum est, & non adire turpe: sed spe fortes sunt, qui sperant, victoriam se reportaturos. 3. Obiectis: quia isti, qui spe fortes sunt, in periculis solum prævisis sibi constant, in subitis autem & repentinis animum despondent. Verè autem fortes in repentinis etiam, ceu dura silex & Marpesia rupes, intrepidi consistunt.

54. Inscia fortitudo est, quæ ex ignorantia periculi & rerum arduarum orta, eo usq; progreditur, donec se imparem adversis viribus sentiens, mortem magis, quam ignominiam metuit, seq; in pedes conijcit.

55. Atq; qui sic sunt fortes, deteriores sunt benè sperantibus: 1. quia ἐνελπίδες isti habent aliquid dignitatis & generositatis, norunt periculum, illud adeunt, & non nihil subsistunt: at qui ἀγνοῦντες & hac notitia, & animi præsentia planè destituuntur; ideoq; cognito errore fugâ turpissimâ se proripiunt. Et hoc hoc usu venit Archivis, qui cum in Lacedæmones, quos Syციουος esse putabant, inciderent, re animadversa in pedes se coniecerunt. Ibidem. 2. quia nihil scientie in ipsis inest; in illis autem est aliquid cognitionis.

56. Et talis fortitudo est plerumq; in tyronibus, et novitijs militibus, de quibus dicitur: dulce bellum inexpertis. Item: ἀμάθεια θάρσος ἐμπερία ὄνου φέγει Imperitia verò parit audaciam: experientia timorem, seu cunctationem.

57. Differt à vera fortitudine 1. quia sine consilio periculis sese obiectat. 2. Non præstat constantiam. 3. Ignominiam honestati præfert.

58. Si quæ præterea aliæ sunt species apparentis fortitudinis, illæ ad hæc quinq; haut difficulter redigi poterunt, ut est ea quæ desperationis est. Si quis enim animum despondeat, & sua de salute iam actum putet, is quasi rabie quadam percitus in pericula, in hostes, in mortem ipsâ ruit. Exemplo sunt Locrenses quorum millia quindecim, cum spem salutis abiēcissent, centum & viginti millia Crotoniensium in fugam egerunt Iust. l. 2. Et hinc sunt trita ista: Cum desperantibus malum esse pugnare. Et: hosti fugienti pontem aureum sternendum. Et tantum de fortitudine ex sententia Philosophi dixisse sufficiat: nunc ad quæstiones nos convertimus.

Quæst. 1.

Quaestio I.

An una sit virtus; an verò plures ejus species?

Refert Plutarchus in libello de virtute morali Stoicos (Zenonem, Menedemum, Aristarchum & alios) asseruisse unicam tantum virtutem quoad essentiam, quæ postea varias sortiretur appellationes, prout varijs objectis applicatur, & varias producit actiones. Etenim inquit Plutarchus, dum virtus considerat, quid agendum sit aut non agendum prudentia nomen gerit: dum moderatur cupiditatibus, modumque & legitimum voluptatis tempus definit, temperantia: dum commercia contractusque hominum invicem temperat, iustitia: dum animi perturbationes commotionesque reformat, fortitudo. Sicut culter quidem unus est; aliàs autem aliud scindit: & ignis unicam suam naturam urens, in varias agit materias. Hanc suam assertionem stabiliunt duplici hoc suffulcimento. 1. Quia est unica recta ratio, quæ ostendit mediocritatem in omnibus actionibus servandam, ex qua omnes virtutes dimanant. 2. Quia ea est virtutum connexio, ut qui unam habet, etiam ceteras habere dicatur. Cic. 2. Tusc. quaest. Si confessus fueris unam virtutem te non habere, nullam es habiturus. Vide hanc in sententiam plura apud Piccol. g. 4. cap. 21. A negante sententia facimus nos hisce rationibus. 1. Quia virtutes interdum ad distinctas animæ facultates pertinent, ubi una ad irascibilem; altera ad concupiscibilem appetitum refertur. 2. Quia distinctos affectus ad mediocritatem reducunt. 3. Quia actionibus & externis objectis differunt. 4. Quidam magis ad hanc, quam ad illam virtutem inclinant. 5. Denique actionibus huius aut illius virtutis non omnes virtutes acquiruntur. Verbi gratia, temperanter vivendo nullus fit fortis: & fortiter agendo nullus temperans evadit. Videatur Piccolom. g. 4. cap. 22.

Ad rationes pro affirmativa adductas respondemus.

1. Vnam quidem & eandem eamque simplicem esse rectam rationem: inde tamen consequens maxime inconsequens est, unicam esse virtutem.
2. Virtutem considerari vel in Idea, seu quæ est hominis in universum sumpti: vel quæ est huius individui. Priori modo omnes virtutes inter se sunt coniunctissimæ; ut à se mutuo tandem in catena dependeant: posteriore vero modo non item.

Quaestio 2.

An inter virtutes morales rectè prior locus Fortitudi-
dini assignetur ab Aristotele?

PRO Philosopho in gratiam interpretes alias atque alias causas
comminiscuntur; quarum hæ sunt principiores.

1. Quia nulla virtus magis circa ardua & difficilia versatur, quam fortitudo.
At qui virtuti maxime proprium est circa difficiliora versari, 2. Nicom. c. 3.
2. Quia usus est fortitudini in rebus longè maximis, pertinentibus ad tuen-
dam & conservandam inter homines civilem societatem. Vnde & Plato hanc
vocat σωτηρίων Τίνα salutem quandam generis humani; & alias propter
hunc usum κατ' ἔξοχὴν virtus dici consuevit, quasi ipsa sola esset virtus.
Sic enim apud Virgilium Aeneas ad filium Ascanium 12. Aeneid.

Disce puer virtutem ex me verumq; laborem,
Fortunam ex alijs.

3. Quia hæc virtus maxime virum decet, & in viro præcipuè laudatur
Cic. 2. Tuscul. 4. Quia huius virtutis actiones præ cæteris maxime splen-
dent, & in hominum oculos incurrunt. Splendidissimum enim vide-
tur, ut Cic. 1. off. inquit, quod animo magno factum est. Mag. in
6. 5. l. 3. Eth. Nicom.

Cæterum quaestioni hujus negativam alij ex his adstruunt.

1. Quia & reliquis virtutibus pro ratione circumstantiarum sua est præ-
stantia sicuti 3. Topic. cap. 2. de iusticia testatur Philosophus, ubi inquit;
Si iusti essent omnes, nihil loci esset fortitudini: ac si fortes essent omnes,
iustitiam tamen requirerent: Et 8. Ethic. 1. φίλων οὐτων, οὐδὲν δὲ δι-
καλοσύνης; ut & 17. prob. sect. probl. 5. fortitudinem absolute loquendo
præcipuam esse negat. Vnde & Conimb. disp. 9. q. 1. a. 1. Iustitia primas de-
ferunt. Videatur & Piccolom. g. 4. c. 49. & præsertim cap. 51. 2. Ars pen-
det ex aptitudine naturalium: quia naturæ est imitatrix. Manifestum
est autem τὸ ἐπιθυμητικὸν vim animæ concupiscibilem, natura in nobis
priorem esse τὸ θυμοειδὲς parte irascibili. Est enim propter speciei conser-
vationem nobis data: id quod videmus in infantibus recens natis, qui natu-
ræ instructu promovent se ad papillam succuri, vix dum in lucem editi.
At verò Temperantia τὸ ἐπιθυμητικὸν virtus constituitur. Hæc ergo a-
nimæ pars cum naturâ prior sit irascibili, concluditur & inde Temperantiam
ordine naturæ esse priorem Fortitudinē & Iustitiâ.

Pro

Pro decisione notandum. 1. Non multum refert, quoniam ordine virtutes explicentur Piccol. g. 9. c. 29. Omnis enim generis species simul sunt: ideoque perinde est à qua specie facias initium. Atque omnes virtutes sunt species unius generis. 2. Aristotelem ordinem arbitrarium secutum, à Fortitudine ideo initium sumere maluisse: vel quodrum temporis summo in precio haberetur, teste Iovio Pontano in proem. lib. 1. de Fortitud. vel quod etiam Alexander M. Fortitudine maxime excelleret, cuius in gratiam cum eius esset præceptor, eam priore loco tractare voluit. Sed hæc & id genus alia missa faciamus.

Quæstio 3.

An difficilius sit res secundas, quam
adveritas moderatè
ferre?

PRO affirmativa depugnat Aristoteles 3. Nic. c. 9. hisce catapulis. 1. Quia in iis, quæ imprimis animos hominum perturbare solent, maxime animi vis, & robur cernitur. 2. Etiam vulgo receptum est, eos appellare fortes, qui in formidabilibus sunt præsentibus magno animo Hinc Cic. 1. off. Ea, inquit, quæ eximia & præclaræ videntur parvi ducere, eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi magnique ducendum est, & ea quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil a statu nature discedas, nihil à dignitate sapientis, robusti animi est magnaque constantiæ. Arist. 3. Nicom. 8. vide supra th. 10. Negativa est Archita, & duplici nititur fundamento.

1. Quando fortuna nobis abblanditur & quasi divinâ virgula omnia nobis suppeditat, modum tenere omnium difficillimum est. 1. Quia res secunda & voluptates tacite se nobis insinuant, & nos suavis subactos imperio à circumspeditione ad incogitantiam, à modestia ad insolentiam, à metu ad audaciam, etiam aliud agentes, plerumque deducunt. 2. Quia voluptatum illecebris non totus homo oblectatur; sed recta tantum ratio quamvis & ipsa agere repugnet. 3. Hinc Arist. 2. Eth. 3. ex Heracliti sententia longe majoris momenti esse pronunciat, cum voluptate quam cum ira pugnare. 4. Spectat hæc proteritum illud; veritatem odium: familiaritatem, contemptum: securitatem, periculum, felicitatem, fastidium, & superbiam parere. 5. Non male Ps. 6.

Luxuriant

Luxuriant animi rebus plerunque secundis:

Nec facile est æquâ commoda mente pati.

6. *Præclara est vox Publij Mimi*, Voluptas cum blanditur, captum venit. 7. *Exemplo sit in sacris* David, Ezechias, *apud Prophanos*, Hercules, Alexander & alij innumeri.

II. E contra res adversæ quando nos adoriuntur. 1. *tum ijs, totus homo, quantus est, resistit, ut non tam facile possit succumbere.* 2. *Res adversæ animum elatum deprimunt, inflatum contrahunt, exorbitantem in viam reducunt.* 3. *Nota sunt illa veterum: παθήματα, μαθήματα.* Piscator iectus sapit. Phryx plagis dicitur emendari. *Et Cato Censorius in oratione pro Rhodiensibus inquit, adversæ res se domant & docent quid opus sit facto.*

Pro decisione notandum.

1. Res secundas moderatè ferre, esse quidem longè majoris fortitudinis, quàm communiter res adversas; in malis tamen quæ corpus & vitam nostram petunt, longè aliam videri rationem. *His enim omnium malorum atrocissima mors est, & quæ ad mortem ducunt. Atq; hoc nomine Aristoteles fortitudini, quæ ista suffert, non immeritò palmam attribuit.*

2. Utrobique fortitudinem splendidiorē & illustriorem, & evidentiorē, quæ in malis cernitur, quàm quæ in prosperis. Ut enim aromata longè lateq; odorem emittunt, si teras: sic virtutis fama diffunditur, si premas. *Lips. 1. de const. c. 8. Benè ergo Ovidius 1. Trist.*

Scilicet adversis probitas exercita rebus,
Tristi materiam tempore laudis habet.

Si nihil infausti durus vidisset Vlysses.

Penelopes felix; sed sine laude foret.

Et alibi.

Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus
apparet virtus, arguiturque malis.

Quæstio. 4.

Vtrum actionibus fortitudinis aliqua
voluptas insit?

Ad

Ad hanc quæstionem cum Philosopho 3. Nicom. 9. respon-
demus, in fortitudine & reliquis omnibus virtutibus duo esse, fi-
nem videlicet & media, quæ accuratè distingui debent. Media e-
nim seu actiones fortitudinis, per se consideratæ, reverà sunt mo-
lestæ, cum sint cum labore coniunctæ. Omnis enim virtus moralis cir-
ca voluptatem & dolorem versatur. 2. Nicom. 6. 3. Innuir hoc Hefio-
dus, quando asserit, virtutis viam arduam esse & difficilem, conjun-
ctam cum labore & sudore, donec ad fastigium montis perventum
fuerit, hoc est, dum finem suum fuerit consecuta. Finis autem fortitudi-
nis, quæ est honestas & decorum, viro forti semper est jucundus,
imo iucundissimus, ita ut huius intuitu omnem actionū molestiam negligat:
non secus ac pugili jucundum est pugnare, quo tandem coronâ ornetur, aut a-
lioquin depositum præmium mereatur, licet interim plagæ, quas in conflictu
accipit, ipsi molestæ sint. Qui enim propter honestū finem agit, ei finis iste non
potest esse non delectabilis. Neq; hæc delectatio repugnat molestiæ seu dolori,
quem ex vulnerum inflictione patitur, quia delectatio illa est solius animi,
dolor autem est tristitia corporis & in organo corporeo. Proinde delecta-
tio incorporea tristitiæ corporeæ sensibiliq; non contrariatur,
cum non sint apta nata esse in eodem subiecto. Golen. disp. 4. Etb.
Acciaol. in hunc locum. Vide supra th. 27.

Quæstio 5.

Vtrum vir fortis mortem dolendo fortis
dici possit?

ET hujus quæstionis affirmativæ unâ cum Philosopho subscri-
bimus. 3. Nicom. 10. Est enim vir fortis etiam σάρκινος seu carne in-
dutus, quæ sensibus undiq; refert a, ut non possit non aliquando dolere: idcirco
sentire quidem dolores & molestias, & tamen eas forti animo sustinere, pro-
prium est fortitudinis. Quo nomine vir fortis mortem feret longè
molestius, quàm ignavus aliquis. 1. Quia vitâ dignior. At quò quis ma-
gis vitâ dignus est, eò magis etiam dolet de privatione vitæ & sic de sua mo-
ste. Benè ergo Aristippus Philosophus cum obortâ tempestate in
mari videretur esse timidior, & propterea reprehenderetur à quo-
dam, quòd nimium vitæ suæ metueret, respondet: se rectè vitæ suæ
metuere, quia esset vir bonus, eos verò qui sint mali, non debere
vitæ suæ metuere. 2. Quia per mortem vir fortis sciens magno bono pri-
vatur, nempe officijs fortitudinis & cæterarum virtutum, quæ, si vita dare-
tur,

C

tur,

reipub. vel patriæ liberanda adhuc prestare posset. at quanto aliquis sciens majore bono privatur, sanè tantò magis in morte dolebit. Neq; hic dolor animi repugnat delectationi, quam in præcedenti quaestione dictus est fortis etiam moriens habere. Hæc enim delectatio & Tristitia licet sit unius ejusdemq; subjecti, tamen non versatur circa idem objectum. Delectatur enim fortis contemplatione finis; & dolet consideratione officiorum virtutis, quæ deinceps exercere, videt sibi non esse integrum. *Arist. 3. Nic. 9. Acciaolus in hunc locum.*

Quæstio 6.

An αὐτόχαιε & qui voluntariam sibi ipsimet mortem consciscunt, sint in fortibus habendi?

ET hic tam inter Christianos quàm Ethnicos reperiri poterint, qui αὐτοφονίω tanquam insignem aliquam fortitudinem celebrarint. *Vide Chemnitium parte 2. loc. Theolog p. 191. vide & Senecam lib. de providentia & Epist. 13. 24. 30. sed quâ specie hoc fingi aut pingi possit, nullus video, nisi forte hæc. 1. Quod isti αὐτόχαιε mortem ipsimet eligant, quæ est omnium maximè formidabilis. 2. Quod fortè hic ipsis patrocinari videatur exemplum Razæ, 2. Maccab. 6. 14. Item & Simsonis Jud. 16. Nos hic cum Philosopho 3. Nicom. 10. nullam hîc fortitudinè agnoscimus; sed desperationem potius & extremam timiditatem. Probamus 1. αὐτόχαιε vel primâ fronte malo conspecto trepidat, & siquidem aliâ non potest malum hoc evitare viâ, morte se evadere possè sperat. Atqui laboriosa fugere, nec quia honestum est id facere, sed ne malum habeas, mollitia est. 3. Ethic. cap. 7. Ita Cato se interfecit, quia metus imminentis periculi, ne in Cæsaris manus deveniret, fractus fuit. Vtrum obsecro (inquit Augustinus lib. 19. de civitate Dei cap. 4.) Cato ille patientiâ, an potius impatientiâ se peremit? Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Vbi est fortitudo? Nempè cessit, nempè succubuit, nempè atque adeò superata est, ut vitam beatam derelinqueret, desereret, fugeret &c. *Contra vir fortis utramque fortunam expectat & fert cū decoro. 2. αὐτόχαιε non respiciunt ad honestatè; sed tantùm quia mors præ alio malo bonū maius φάινεται, illud arripunt. Atqui veræ virtutis est, in omnibus actionibus τὸ καλὸν tanquam sanctissimâ Helicem respicere. 3. Veræ fortitudinis est non ἀπαλῶς subire vel eligere mortem; sed dignè & dignis modis. Quæ admodum enim non supplicium, sed causa Martyrem facit. ita ne-*
pugn*

pnena nec mors; sed causa & modus hominē fortē & animosū redat. 4. Reo-
ctæ rationi & τόχης non obsequuntur, quæ desperationem nul-
libi & nuspiam præscribit. Atqui veræ virtutis est non indomitis istis af-
fectibus indulgere; sed rectâ ratione tanquam aliquo Palladis freno eosdem
cohibere. 5. Nullâ hinc redit utilitas ad civitatem, sed cum manife-
sta eius sit injuriâ. Hinc apud Thebanos, si quis sibi manus intulisset, ve-
lut sui carnifex & immanis habebatur. Athenienses etiam cum sibi quis
manu mortem conscivisset, defuncto cadaveri manum, tanquam facinerosam,
abscein debant, eamque à corpore divisam, in humatam relinquebant. Ita &
Plato censebat horum cadavera ignominia esse afficienda, neq; honestè sepeli-
enda. 6. Denique vita hæc nostra quid aliud quàm militia quæ-
dam est? Proinde nulli hominum licet ex hac vita migrare in-
jussu Dei. Sumus enim hic omnes, inquit Plato, velut in acie,
loco unicuique suo ab imperatore Deo assignato: majorique
supplicio afficiendus est desertor vitæ, quàm desertor militiæ.
Quin ergo hic cum eodem Platone ex principio Phædonis concludimus:
nefas est hominem sibi metipsum manum afferre: nec aliter irasci-
tur Deus si id fiat, quàm Dominus, si aliquod mancipiorum se oc-
ciderit. Et cum Seneca Epist. 24. Vir bonus ac sapiens non fugere de-
bet è vita sed exire. Vide in hanc sententiam plura apud Piccolg. 6. c. 16.
& seqq. Gockl.

Addi possunt & hæ rationes Theologicæ. ab Imagine Dei: quæ per
nos non debet destrui, neq; in nobis neq; in alijs: 2. Quia sicut non laedendus est
proximus, quia est caro nostra: sic neq; nos ipsi, quia nemo unquã carnem suam
odio habuit. 3. à magnitudine precij, quo Christus & alios & nos redemit. &c.

Quin ergo & hic rursus cum Lætantio Firmiano lib. 3. divin. Instit.
e. 18. ita concludimus: quemadmodum in hanc vitam non no-
strâ sponte venimus: ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod
tuendum nobis à Deo assignatum est, eiusdem jussu recedendum
est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec iu-
beat emitti. Et si vis aliqua inferatur, æquâ mente id ferendum
est, cum extincta innocentis anima inulta esse non possit: habe-
amusq; vindicem magnum, cui soli vindicta in integro semper
est. Homicidæ igitur illi omnes Philosophi, & ipse Romanæ Sa-
pientiæ princeps Cato &c. vide & August. l. 1. de Civitate Dei c. 23. Chem-
nit. parte 2. Loc. Theol. p. 191. Proinde ad exempla Raziæ & Samsonis
superi usallata non deest quod respondeamus.

1. Quod ad Raziã 1. scriptor illius historiæ illud satis laudat gentiliter. At-
qui ut optimè Augustinus inquit, historia gentiũ ita solet suos vi-

ros fortes laudare : non autem ita Ecclesia martyres Christi &c. 2.
Liber iste est Apocryphus. Videatur August. contra Gaudent lib. 2. c. 24.

II. Quoad ad Samsonem respondemus cum August. l. 1. de Ciuit. Dei c. 27. Samson excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, quia spiritus latenter hoc iusserant, qui per illum miracula faciebat, Vide Chemn. l. d. p. 192.

Quaestio. 7.

An ergo planè non liceat alicui semetipsum occidere,
ne cogatur peccare?

Pendet hæc quaestio è prægressa: de qua nos breuiter & dilucidè. Spartanæ virgines quinquaginta cū ad Messeniorū urbem missæ essent, semetipsas interfecerunt, ne à Spartanis Iuuenibus vim impudicam paterentur. Ita Apollonia scribitur in ignem se coniecisse, ne Idola cogeret adorare. Et de mulieribus quibusdam scribit Augustinus, quæ se in fluvium precipites dederint, ne à persecutoribus stuprarentur. De his nunc quaeritur quid Iuris? Dicimus nos, amorem quidem istum castitatis esse laude dignum; sed facta hæc esse iusta, id omnino negatum imus. Rationes validissimæ:

1. Quia homo Christianus in tali casu habebit rationem 5. præcepti: Non occides, cum constanti proposito, quod vel millies velit mortem oppetere, quam impie coactioni consentire. 2. Non sunt facienda mala, vt eveniant bona. 3. Rectè Augustinus: si hæc causa esset iusta (nempe in ignem se conijcere, ne cogaris idola adorare) nihil esset beatius aut vtilius, quam statim post Baptismum se interficere.

4. Rectè Antimus Nicomedensis Ecclesiæ Antistes, rogatus à puella quadam ad libidinem rapta, utrum sibi è duobus malis eligendum videretur? respondit: Filia Euphrasia, pulcherrimum quidem est castæ virginitatis donum, sed maius præstantiusq; est fidei præceptum. Quandoquidem enim, si casus aliquis aut necessitas ita ferret, multo magis Pallam ipsam præstaret, quam corpus diripientibus dare. In præsentibus quoq; malis & tentationibus eodem modo rem despiciere convenit, & si permissum non est, ut utrumq; retineas, ut saltem animam conserves, faciendum tibi esse duco, ut scilicet mente ipsa per fidem confirmatà carnem iniurijs & contumelijs improborum obijcias. Niceph. l. 7. c. 13.

5. Pati vim sine consensione passio est, non actio.

6. Et benè puell. 1 ista in Tragedia dicit: Cogi non potest, qui paratus est mori, h. e. non potest cogi ille ad malam actionem perpetrandam, qui

qui libentius vult pati, ut occidatur, quam & turpe quid faciat. Bene ergo
de Lucretia *αὐτοχρησία* nonnullus ita lufit.

Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,
Immeritò ex merita præmia morte petis.
Sin potius casto vis est illata pudori,
Quis furor alterius crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas Lucretia: namque
Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.

Paulus ab Eizen l. 4. doctrina Ethica c. 6. p. 253.

Quæstio 8.

An Sancti Dei Martyres verè fortes fuerint: & num ma-
ior illorum fortitudo, quàm illorum, qui in
bello pro patria, pro aris & focus
dimicando fortiter oc-
cumbunt.

Ad vtrumq; affirmatè respondemus. Prius non eget opero-
sa aliqua probatione, si modo ad viri fortis munia, quæ à Philo-
sopho requiruntur, Martyrum constantia examinetur.

*Nam 1. non temerè nec inconsultò in huiusmodi pericula se coniecerunt
2. In periculis & ipsa morte constanter & decenter se gesserunt. 3. Causa bo-
nitatis confisi, quod honestissimum erat Dei gloriam & proximi emolumentum
sibi ob oculos posuerunt, quod comprobatur illud Tertulliani in Apologetico: San-
guis Martyrum nihil aliud est, quàm semen Ecclesiæ, quo plures
demetimus, plures evadimus. Quod de se fatetur Iustinus Martyr, ut
refert Nicephorus L. 3. c. 26. Ego quidem, inquit, qui Platonis dele-
ctabor disciplinis, cum Christianos calumniosè deferri audirem,
videremq; eos impavidos esse, interritosq; ad mortem, & quæ-
cunq; mortalibus horrenda videntur, consideravi ipse mecum, fi-
eri omninò non posse, ut illi in flagitijs delicijsq; viverent. Do-
nald l. 3. Eth. c. 2.*

Sic & alterum quæstionis membrum suis stat rationibus, satis
prægnantibus.

1. Quia mors ista martyrum bellicam acerbitate sua longissimè superat.
1. Illic enim perquam multas non dico horas, sed dies: imò menses totos excru-
tiantur & divexantur. At in bello.

Concurritur hora

Momento, aut citò mors venit, aut victoria lata.

I. Istum in finem per tyrannos exquisitissima tormenta excogitata fuerunt, sic ut refert Nicephorus l. 7. c. 6. 7. 8. etc.

II. In martyrum tormentis spes est nulla, mortem vident presentissimam, nec ullum evadendi locum aut viam. Atqui in bellis spes evasionis est maxima: Siquidem incerti Martis dubia sunt vices, & in : ad hanc, mox ad illam inclinat partem, adeò ut quæ iam in dubio est vita, spe tamen evadendi & melioris fortuna erigi etiamnum possit & sustentari. Vbi verò spes est reliqua, ibi minus est malum: ubi nulla est reliqua, ibi maius: Spes enim ipsum malum revelat, & melius mox fore, semper ait:

Spes etiam valida solarur compede victum,

Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Tibul. L. 2. Eleg. ult. III. Mors illa Martyrum magis afficit corpus & animam ac bellica illa. IV. In bellis resisti potest mortem inferentibus, & locum ibi habet vindicta. Atqui in morte & tormentis Martyrum etiam exquisitissimis nihil tale locum habet: sed impune cruciantur, & acerbissimis doloribus subiciuntur.

Quæstio. 9.

An viro forti fugiendum potius, quam moriendum.

Affirmativa placeat multis, adeò ut vel nulla pagina sit apud scriptores Ethnicos, quæ non omnem timorem, fugam omnem malique declinationem à forti viro alienam esse oportere, inculcet. Vnde & illud: Haud est virile terga fortunæ dare. Nos hanc laticulam dirimimus per distinctionem. Mors optanda est, si fugam nostram religio prodatur, deseratur resp. violentur leges, attrahatur infamia, iuniores ad ignaviam excitentur. V. g. Demosthenes non erat fortis, cum in praelio abiecto clypeo, mortem presentissimam fugam auerteret, & cum ei hoc probro datum esset, respondit, vir fugiens iam denuò pugnabit. E contra stultum est, nec caret turpitudine, mortem expetere, si plus commodi ex alicuius vita Respub. sit habitura. Toti siquidem humano generi à natura tributum est, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ patriæ nocitura videantur. Videre autem quantum adversa declinare deceat, prudentia est, quæ dicitur non esse turpe fugere quoties magis expedit hosti dare locum, quam manus vitæ suæ patriæque damno conferere. Bona enim est timiditas, quæ reddit hominem circumspectum, quæ deterreret fortem ab eis, quæ Respub. aliquid detrimenti afferre posse videntur.

dentur. Fortes igitur censendi sunt, non tantum qui ob salutem patriæ, vitam contemnunt, sed etiam qui tanti faciunt eandem, ut hujus gratia vitam alioquin negligendam, conseruent. Hoc nomine Varroni senatus gratias egit, quod re malè gestà ad Cannas fugere & ad meliora Reipub. tempora se reservare maluisset, quam unà cum Collega perire. Livius Decad. 3. l. 2. sub fine. Ita cum Antigonus cederet hostibus, fugere se negabat, sed oportunitatem à tergo sitam persequi. Stob. ser. 3. Huc pertinet & illud. Qui fugit ad pugnas ille redire potest.

Quæstio 10.

An isti, qui periti sint artium bellicarum, & non
subjecti illi magistratui, qui bellum gerit,
possit bona conscientia sese
ad militiam addicere?

Multas quæstiones hic studiosè præcidimus: nempe. 1. An Christianos bellum gerere liceat. 2. Quæ sint iusta & legitima bella. 3. An fas sit subditos, ita iubente suo magistratu arma capere, & militia opera exercere. 4. Quid iudicandum sit, si subditus aut miles ignoret causam belli, in quo militat, esse injustam: de quibus & id genus alijs quæstionibus consule magnū istum Chemnit. p. 2. Loc. Theol. p. 322. & seq. Nos hac vice tres istas quæstiones, quasi coronidis loco brevissimè excutiemus. Et primò quidem illos, qui eruditi sunt ad prælia, sicut scriptura loquitur 1. paral. 5. vers. 18. posse etiam alieno magistratui operam suam conferre, aimus ex hisce fundamentis. 1. Quia etiam Ictus ad ordinem iudiciorum administrandum potest operam suam offerre & addicere magistratui, cui non est subiectus. Ergo quod valet in re pari valebit etiam in re conpari: præsertim quia oportet tales aliquos esse qui nôrint armis violentiam reprimere & pacem tueri, quia donum Dei est, Psalm. 143. v. 1. Qui docet manus meas ad prælium. 2. Mercenarij fuerunt milites isti, quibus Luc. 3. v. 14. respondet Baptista. Contenti estote vestris stipendijs. 2. Talis collatio militia videtur esse Exod. 32. v. 26. ubi Moses dicit: si quis Domini est, jungatur mihi. 3. Rex Iuda mercede conducit milites ex Israel. 2. paral. 25. v. 6. 4. Ita Iephthe vocatur ut fiat dux Iud. 11. vers. 6. 5. Rex Israel primum deliberat cum suis de inferendo bello, postea Regem Iuda alloquitur: venies ne mecum ad prælium? 4. Reg. 3. v. 6. 7. Bene ergo Augustinus contra Manich. Vir justus, inquit, si forte etiam sub

Rege

Rege homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente, bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est. Ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. Quoad alteram quæstionem licet milites mercenarij in bello sint maximè ex usu, quod ea sibi patiantur imponi muniâ, quæ fortassis vir fortis obire detrectaret tamen quia non honestatis gratiâ, sed turpis alicujus lucelli causâ vitam suam venalem prostituunt. ; idcirco negat Philosophus eos in fortibus habendos; Nicom. c. 9. Nos hoc pronunciatum philosophi cum restrictione acceptamus de ijs duntaxat, qui tantum stipendij & mercedis gratia castra sequuntur, nulla omnino habita ratione honestatis seu bonitatis causæ illius, quam sectantur. *Possunt enim alioquin in hisce esse etiam fortissimi viri: imo extra hosce viri fortes dari non poterunt, cum hoc seculo ubivis gentium & locorum mos pro stipendijs pugnandi iam invaluerit. Quam in sententiam optimè Augustinus: militare inquit non est peccatum, sed propter prædam militare est peccatum; ideo quadam providentia militibus stipendia constituta sunt, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Quoad ultimam quæstionem, urbanas copias, quæ ex honestis civibus colliguntur, mercenario militi merito præferimus. 1. Quia sex illa militum mercenariorum ut plurimum virtutem & honestatem nullo habet in precio, atqui cives ut plurimum aliquo tuis studio tenentur. 2. Cives habent uxores, liberos, aras, focos pro quibus pugnent: militibus verò mercenarijs nec rei nec spei quicquam est reliquum. 3. Cives si ignavi sunt; sciunt sibi pœnas luendas: at milites, qui instar palearum dissipantur, nihil animadversionis post pugnam metuant. Non ergo malè dixit Machiavel. l. 2. disp. 20. Neque principes, neq; respub. sine periculo uti posse auxiliario & mercenario milite: idq; non tantum in bello, sed & in pace, quando optimates sibi minus fidentes, aliorum Principum arbitrio & fidei se concredunt. Confer Lipsium lib. 5. polit. cap. 9. & seq.*

Et tantum de fortitudine.

F I N I S.

Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe

an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17





2

RATIO VII.
 ONVM ETHI-
 RVM
 VDINE,
 VIRTUTE
 orali.
 Ethicorum Nicoma-
 deprompta
 am
 ET DOCENTE
 a VVitebergensi
 S I D E
 ELSTENIO PHI-
 ofessore publico de-
 n suscipiet
 NGIVS OLDEN-
 horis locog, consuetis.
 alicus
 os, perque aspera duro
 us interrita clivo.
 is Anno 1607.